Virtutes uerò quæ ingenij felicitatē acumenq; conse=
quuntur, tot ac tantæ sunt ut silentio potius com=
mendari uelint (nam nullo alio loco hæ melius comme=
morari posse uidentur) quarum primam (ut plurimos
prætaream) non omittendam puto, nimirum cum la=
bore temperantiam, postquam enim labores Asinus
exantlauit immanissimos, exiguo uiuit, et qualicunq;
pabulo, sæpius nullo, uel saltem si aliquo, paucis=
simo, carduis uidelicet, tribulis, paliuris, folijs
fœnóq; contentus, labor uerò, ut dixi, est talis, ut
equi cum Asinis comparari minimè posse uideantur,
quam obrem ob tantos immanesq; labores diebus olim
Neptuno sacris Asini æquè ac equi floribus coro=
nabantur, nunc uerò cum asellus ~~pulse~~ cædit asellū
pro floribus fustibus coronantur, quos tamen patien=
tissimè sustinent, hæc ut patientiam Asino deesse non existi=
metis. Cresceret in immensum oratio nostra, si con=
sectandis singulis, aut naturæ, in Asini caput et in=
genium, benignitatem sequerer, aut officium meum in
laudando explere uellem, ad auditum et Asini aures
pergamus, sunt profectò aures accomodatæ capiti,
magnum est caput, magno capiti magnæ conueniunt aures,